ut videbimus: *Purificationem aliquam externam* esse præmittendam, suadet *Becanus Manual. lib. I. cap. 12. §. 17. p. 349.* Quæ constat (1) ex tonsura seu rasione pilorum in capite. (2) Habitu clericali. (3) Abdicatione Operum Servilium. Sed hæc partim divinitus non sunt mandata, sed humanitus inventa; partim in N. T. nuspiam in ordinationibus ministrorum ecclesiæ adhibita. Reliqua quæ ordinationi ipsi Pontificii addunt in nostra tractatione obvenient.

§. III.

RASURA instituta est a Papa *Anacleto I.* teste, *ex Platina, Johanne Brenzio, in vita Anacleti.* Eum morem ab ethnicis Papam sumsisse, testis est *D. Nicol. Hunnius de Apostasia Rom. Eccles. §. 57. p. 120.* clarius probat *§. 308. p. 499. seqq.* Ceremonias rasuræ ridiculas describit *D. Heilbrunner in papatu acatholico art. 16. cap. 8. p. 609. seq.* eundemque indignum esse in imitatione probat *M. Reinecc. in Panopliæ Tom. 4. cap. 20. pag. 298. col. 2.* Videatur de his *Polydor. Vergil. lib. 4. cap. 8. pag. 332. sqq.*

§. IV.

HABITUS CLERICALIS maximam partem petierunt Pontificii a Judaismo, nec multum a gentilium vestibus distat. *Polydor. Vergil. lib. 4. de invent. cap. 7. pag. 329. Unde liquido*, inquit, *apparet, pleraque omnia ab ipsis hebræis, uno vel altero modo sacerdotes nostros esse mutuatos, sicut illos, ab Ægyptiis principia sumsisse verisimile est &c.* Nec vestitui ullam sanctitatem attribuere possunt. *1. Petr. III, 3.* requirit a provectioribus ætate mulieribus καταστολὴν κόσμου μετὰ αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης v. 4. ἐν ἀφθάρτῳ τοῦ πραέως, καὶ ἡσυχίου πνεύματος. Et hortatur viros religiosos, ut dent operam, quo interior corporis mundities exteriori vitæ sanctimoniæ respondeat. *D. Brochmand. de Minister. Ecclesiast. cap. 2. quæst.*